



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia IX. De Nicolao Diacono.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

Ecclesia particulari, cultu officiatu religio-  
so; norunt illi, quos minimè subterfugit,  
in hujuscemodi cultu ab Ecclesia Catholica  
non approbato, quandoque erratum, ac  
post temporis intervalla errorem deprehen-  
sum fuisse. Qualis quidem error, tantò mi-  
nus inferebat veritati præjudicium; quòd à  
pia majorum simplicitate pfectus, ab-  
que debita disquisitione à devotis posteris  
retentus sit, qui animum à fallitate

gerebant prorsus alienum. Cæterum  
*vera sunt ac perspicua ea,*  
*qua non ab aliis: sed à seip-*  
*sis fidem habent.* Ait Aristot-  
eles *Lib. 1. top.*  
*cap. 1.*



## CONTROVERSIA IX.

D E

*Nicolao Diacono.*

**S** Joannes Apostolus & Evangelista in  
sua Apocalypsi *cap. 2.* meminit  
Nicolaitarum & *v. 6.* legitur. *Sed*  
*hoc habes, quia odisti facta Nico-*  
*laitarum, qua & ego odi.* Item  
*v. 15.* *Sed habeo adversum te pauca, quia*  
*habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui*  
*docebat Balac mittere scandalum, coram filiis*  
*Israël edere & fornicari, ita habes & tu te-*  
*nentes doctrinam Nicolaitarum.* Hos satis  
antiquâ traditione habemus sectatores im-  
pios extitisse, qui in Christo negabant unio-  
nem hypostaticam naturæ divinæ & huma-  
næ; ac in illius persona Deum tantummo-  
do specialiter habitasse impiè afferebant.  
Deum mundi hujus conditorem minimè

credebant &c. quæ leguntur apud Epipha-  
nium. Magis certum est ex sacris litteris,  
quòd promiscuam libidinem & abominabi-  
les turpitudines docebant, pariter & exerce-  
bant, quod idolis oblata manducabant. Exe-  
crabilem horum Nicolaitarum hæresin, non  
solum ex vecordia; sed nefanda spurcitiæ  
atque intemperantia scèdè constatam, ut  
Theodorus Episcopus Cyrinensis scribit,  
Apostolorum tempore extitisse; dubium est  
se nequit, quantumcunque non sine repre-  
hensibili temeritate, tale hac de re formave-  
rit Joannes Coccejus, quem sui sequuntur.  
*Negligenda sunt omnia, qua temere dicun-*  
*tur; amplectenda, qua rationibus proban-*  
*tur.* Rectè ait Lucianus *Epist. ad Philop.*  
S. Pe.



S. Petrus quorundam meminit 2. *Epist. cap. 2. Qui carnem sequentes in cupiditate pollutionis incedunt.* Talesque detestatur Apostolus Judas *Epist. v. 4. 8. 12. Ut qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciviam.* Quibus designari Nicolaitas cum Oecumenio censent plures interpretes. A quo genimen hoc traxerit ortum, nil certi statui potest. Sunt, qui Nicolaum advenam Antiochenum, qui *Act. cap. 6.* unus fuit ex septem Diaconis, Authorem constituunt, sunt alii, qui eundem ab hoc tam immani scelere vindicent.

Primus, qui Nicolaum Diaconum impiissimæ hæresis coryphæum proclamavit, fuit Sanctus Irenæus, de quo Tertullianus perhibet, quod fuerit omnium doctrinarum curiosissimus exploitator. Is disertè scribit. *Nicolai a Magistrum habent Nicolaum unum ex septem, qui primi ad Diaconum ab Apostolis ordinati sunt.* Sequitur ex Græcis Epiphanius in hæreticorum doctrina & actis vertatissimus *heres. 25.* Item Dorotheus in *synopsi*, quæ habetur in magna Bibliotheca Patrum, cujus verba sunt. *Nicolaus unus ex septem fuit. Hic cum esset Sapia factus Episcopus, in alienam doctrinam lapsus, unâ cum Simone à fide defecit.* Suffragantur his Patres Latini. S. Hieronymus quidem apertè hunc Nicolaum facit scæte deterrimæ Authorem *Epist. ad Heliod.* scribens. *Attendis Petrum, sed & Judam considera; Stephanum suspicis, sed & Nicolaum aspice, quem Dominus in Apocalypsi sua damnat sententiâ; qui tum turpia & infanda commentus est, ut Nicolaitarum hæresis ex illa radice nascatur.* Citantur quoque pro illa parte S. Augustinus *Epist. ad Quodvultid.* Hilarius Arelatensis, Philaltrius Episcopus Brixienis *Lib. de Hæres.* qui extat in Bibliotheca Ma. Pat. Item Tertullianus *Lib. de Præscript.* Sed cum tantum quadraginta quinque capita à Tertulliano certò Scripta cognoscantur; reliqua, in quibus etiam de Nicolaitis ha-

betur, mantissa reputatur haud magni momenti.

Magnâ ex adverso magnorum virorum autoritate Nicolai Diaconi integritas stabilitur: qui licet admittant, gloriari impurissimos illos hæreticos, quod à viro hoc præclaro suum sumpserint exordium, quatenus sic suis abominationibus insignem titulum concilient: falsò tamen illud ipsi impingi fortiter sustinent. Præcipui sunt S. Ignatius *Epist. ad Trallian.* ubi scribit. *Fugite quoque impios Nicolaitas falsum sibi nomen sumentes.* Quæ verba, si etiam interjecta sunt, ut quidam prætendunt, jam tempore Phorii, id est sæculo IX. qui Ignatium in hac causa citavit, epistola illa modo corrupta fuit. Citatur quoque apud & cum Eusebio Clemens Alexandrinus, qui *Lib. 3. Strom.* Nicolai continentiam commendat. Defendit illum pariter adductus supra Theodorus apud eundem non refragantem Photium. His addi potest Victorinus Episcopus Petabionensis seu Petavionensis in superiori Pannonia Martyr in *explicitat. Apocalyp.* cujus opera à Gelasio inter apocrypha recensita, Bibliothecæ tamen Patrum inserta sunt. A modernis quibusdam dictus fuit Episcopus Pictaviensis, incitè quidem, ut evincit de Launoy in *Dissert.* Atque his aliisque viris eruditissimis non videtur verisimile, quod Nicolaus advena, unus eorum, qui, totius Ecclesiæ testimonio, virtuti boni, plenique Spiritu Sancto erant, tam obscæna, quæ vel referre ipsa vetat honestas, palam traderit, aut exercuerit. De eo citatus Clemens Stromaticus sese percepisse tradit, eundem nulla aliâ muliere usum, præter illam sibi matrimonio copulatam; ejusque filias inde prognatas, usque ad extremam senectutem virgines intemeratas permansisse: filium autem vitam puram & nulla labis contagione maculatam duxisse. Hos profectò mores Nicolai proles nequaquam imbuissent; si genitor exercendarum libidinum



suasor extitisset, ac proles suas pessimo exemplo illuc perduxisset. Ut enim Seneca *Lib. de Declamat. Filius quid imitandum sit, discet exemplo Patris*. Cum itaque progenies tam insignis commendetur castimoniam vitæ; quis credat Patrem Nicolaum spurca docuisse & acturasse?

*Ut canere alma docet pullos philomela tenellos:*

*Sic genitor gnatos format & ipse pius*

Econtra, ut præclarè Juvenalis, *Saty. 4.*

*Et quod majorum vitio sequiturque minores*

*Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus,*

*Quæ monstrant ipsi Pueris traduntque parentes.*

*Si damnosa senem iuvat alea, ludit & hæres*

*Bullatus, parvòque eadem movet arma fritillo.*

*Sic natura jubet.*

Ex his ergo colligere licet, Nicolaum fuisse virum innoxium, qui novissimè parastaten nactus est insignem, scilicet eruditissimum Patrem Renatum Massuet Ordinis S. Benedicti Monachum è Congregatione S. Mauri, qui anno hujus sæculi decimo libros quinque hæresum evulgavit, magno cum applausu receptos.

An autem Nicolaus Diaconus ille usque adeo immunis fuerit, ut ex imprudenti aliquo facto, dictòve, à malevolis pravè intellectu, occasio desumpta non fuerit, ad damnandam libertatis statuenda dogmata, inter antiquos Scriptores etiam non convenit, de quo Tillemontius, *loc. cit.* studiosè discit. Licet enim admodum familiare fuerit hæreticis, à viro quodam Apostolico, aut aliàs insigni ambitiosè ortum suum prætere: quatenus calido mendacio, ut Plautus in *Amph.* impudens vocat, celebritatis:

aliquid hinc sibi conciliarent: plerumque tamen, ne id gratis urgere viderentur, etiam ex talis viri dictis aut scriptis perversitati suæ prædidum aliquod adferere solebant. Sic de Nicolao advena refert Clemens *loc. cit.* quod, cum uorem haberet liberali forma præditam, quam impotenter deperibat, post Salvatoris Ascensionem à cæteris Apostolis esset zelotypiæ infimulatus; ut ab ea se immunem demonstraret, in medio productam conjugem, cuique cupienti ducendam permisit: unde sequaces perversè prætenderunt, libidinem promiscuam licere, qualis inter gentes olim, qui Deum ignorabant, permissa & usitata fuit.

Juxta oppianum quidem *Lib. 4.* Zelotypiæ focia est furia, seu gravior diuturniorque mentis alienatio, ex vitio principis animæ facultatis instrumento originem trahens, adeoque nil tam funestum, quod zelotypum posset à flagicio absterere: multi tamen hæc à Clemente narrata, & à Sancto Augustino citatæ Epistolæ interta in censuram fabularum redigere volunt: quibus videtur omnino absõnum, crediturque difficillimum, quod Diaconus ille attentasset sese à suspitione zelotypiæ purgare modo eo, quo majori se scelere obstrinxisset. Sunt alii interim, qui tradunt; quod postquam Nicolaus advena, ad imitationem eorum virorum, quos, relictis omnibus, unicè Deo vacare viderat, aliquamdiu à consortio conjugis abstinuisset, tandem tamen intensissimis carnis stimulis concitatus, superatissime ad illius consuetudinem rediisset, atque ab Apostolis ob levitatem reprehensus, in sui defensionem protulerit, quod legitur apud Epiphanium *loc. cit.* *Nisi quis singulis diebus luxuria vacet, sempiternam salutem consequi non poterit.* Quo inverecundo & propudioso asserto causam plurimorum dogmatum pravorum præbuisse putatur. Et fanè præbuisset, si eadem, quæ narratur, Clementi autem Alexandrino incognita, at-



que à plerisque Scriptoribus, ut falsa reputata, à Nicolao fuissent prolata. Nec major veritatis specimen obtinent alia quaedam hujus commatis, Nicolao afficta. Hoc ipsum autem quod frequenter & familiare sibi adagium refertur ab eo auditum. *Oportet carne uti à petulcis nequiter intellectum, occasio esse poterat, ut luxurianti carni habenas solveret. Prudentius utique vel ob hoc solum, vir ad Sacra deputatus ministeria, ab ea phrasi temperasset. Hor. l. 1. epist.*

*Nam tacitus palei si pollet corvus, haberet Plus dapis, & rixa multo minus invidiarum.*

Nihilominus sæpe citatus Clemens illud dictum sic interpretatur. Oportet voluptates coercere cupiditates rebellis appetitus laboribus, inediis validè restringere, corpus velut recalcitrantem alinum, aut ferocem belluam domare: quatenus assidua & quotidiana exercitatione possit marcidus flaccidusque reddere carnis appetitiones atque insidias. Eodem modo cum Nicolaus usum idolothytorum extra Sacra diceret licitum; suæ cuti timentes extenderunt ad ipsam dæmoniorum mensam, ad quam quandoque minis & intentatis suppliciis compellebantur. Quorsum alludit conjectura quorundam, quasi à Chaldaica voce comedamus dicti sint Nicolaitæ illi, qui se invicem & alios sub Christianæ libertatis prætextu ad comedendum idolothyta invitabant. Quanquam ex dictis veritati magis consonum appareat, ex ipsa putredine hanc Scarabæorum massam fœdam provenisse; dum Nicolaj nomen sibi usurpantes, re ipsa suorum impiorum dogmatum adversarium habuerint Nicolaum, quem sinistro planè & à vero sensu multum alieno dictorum interpretamento sibi Authorem Gnostici constituere veriti non fuerunt.

Recreduir hæc turpissima hæresis tempore

Ludovici Pii: qui, si Annalium Francorum apud Baronium ad *an. Christ. 874.* habenda fides, pœnas in purgatorio annis 30. luit, quod non satis strenuè fœtum oppressisset.

Non equidem planè nova eorum est opinio, qui ab alio quodam Nicolao; cujus memoria nunc in obscuro habetur, appellatos fuisse Nicolaitas contendunt. Quandoquidem Joannes Cassianus *Collat. 18. cap. 26.* scribat. *Licet hunc Nicolannm quidam asserant, non illum fuisse, qui ad opus ministerii ab Apostolis est electus: nihilominus tamen eum de illo discipulorum numero fuisse, negare non possunt.* Utiq; Cassianus, cum hæc scriberet, suam hanc de impossibilitate morali opinionem fundebat in hoc, quòd discipulorum illorum tempore hæresis ea extiterit: quasi nullus præter hos alicujus sectæ Author esse posset.

Ne verò quidquam silentio præterisse videamur; quæ quomodocunque ad Nicolaum absolutionem conducere aut spectare videntur, licet ea sint exotica; adferenda sunt quorundam Neotericorum opinamenta, qui Nicolaitarum nomen merè anigmaticum volunt: negantque ullo unquam tempore extitisse hæreticos sub Nicolaitarum nomine: atque adeò quando horum Joannes meminerit, non proprietatem verborum secutus sit, ajunt; sed symbolico ac anigmatico dicendi genere usum fuisse. Neque illum intelligi volunt, quasi designasset prævios homines, id nominis gerentes: sed extitisse eo tempore nonnullos, qui revera essent (etsi non ita appellarentur ab aliis) Nicolaitæ. Hoc nomine enim sine injuria vocari possunt. Sic Apocalip. *cap. 7. & cap. 21.* per Israëlém non Judæi, sed Christiani, qui verè Israëlita sunt, designantur. Et *cap. 8.* magni cujusdam imposteri nomen esse dicitur Apodos. cum tamen nullus in Ecclesia hujus nominis extiterit hæresiarcha. Et quia non potest hoc nomen de re ipsa sumi;



inferunt idem de nomine Nicolaitarum, qui sic vocarentur, quod ipsorum mores conveniebant cum Balaam, eodem capite, versu præcedenti commemorati, & doctrina Balaam. Significat enim hoc nomen Dominum populi, correspondetque nomini Græco Nicolaos. Idem ergo Nicolaitæ, quod Balaamitæ: quemadmodum mali Angeli nomen Apocalyp. cap. 9. Hebraicè dicitur Abaddon, Græcè Apollyon conformiter Apocalyp. cap. 16. Fit quoque mentio Jezabelis, non, quod tunc aliqua hujus nominis mulier Ecclesiam conturbaverit: sed quia multi essent Jezabeli, Achab Regis uxori, similes, ac vetum Dei cultum idolatriam conspirantes: atque hos illi volunt sub Jezabelis scandalosissimæ mulieris persona notari, qui quidem in ea significatione Nicolaitæ merito nominarentur; licet nullum habuissent certum Authorem. Cùmque neque Lucas in actis Apostolorum, neque alii, quorum Epistolæ extant, quidquam de Nicolaitis, aut Nicolai heresi referant, quos silentio esse præteritos, oblatis sæpè occasionibus, non appareat verisimile; Nicolaitas in mundo fuisse, ut credant, heteroclitii illi à se impetrare nequeunt. Bene currunt: sed extra viam: & quia temerarii, quod Menander ait, in vanum laborant currentes. Genuinus *loc. cit.* sensus est, qui exprimitur in Scholio Joannis Benedicti Doctoris Parisiensis, desumpto ex Aretha Cæsarensi ibidem hisce verbis. *Hæc autem mulier topicè significat Nicolaitarum heresin per nomen Jezabel, quæ Regi Achab nupsit. Huic etiam comparans Nicolai sequaces propter libidinem ac impietatem &c.* Eadem chorda oberravit Novator quidam Germanus nuperri- mè in Phantastica sua *Apertura Apocalypseos* dum persuadere mundo voluit S. Joannem per Nicolaitas intellexisse non sectam quandam: sed principes & magnates populo Dei Tyrannide ac libidine insultantes. Atque hi nimium sensati posthabendo regulam uni-

versalem de retinendo sensu litterali Scripturæ Sacræ, quoad usque nihil inconveniens exoritur, magnum quoddam sibi imaginantur prodidisse mysterium, perspicacissimis etiam olim Patribus incognitum, quando per arbitraria sua commenta ad rem nihil profus spectantia, non *hoc primum intellin- tes quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.* 2. Pet. 1. lectoribus obtrudunt, quod speciali lumine ac revelatione sese cognovisse arroganter prætendunt, tantò magis à communi tritoque veritatis tramite aberrantes, quanto minus in heterodoxis explanationibus suis inhærentem Sacrarum Scripturarum sententiam allequuntur. *Sæpenumero eos miratus sum, qui divinas Scripturas perperam interpretantur, suumque potius sensum, quam eum, qui in ipsis situs est tueri connituntur. Siquidem puram earum sinceram atque oblectandi animi facultate præditam mentem, mala atque incerti dogmatum suorum aqua admiscentes, res divinas, cauponum instar quasi trahunt... siquidem puros ac limpidos Scripturæ Sacræ, sensus evanidis suis dogmatibus admiscentes, doctri-*  
nam



nam adulterant. Verba sunt  
S. Isidori Pelusiota

Lib. 3. Epist. 125.  
):( o ):(

## CONTROVERSIA X.

D E

### Simone Mago.

**S**imon, Magus dictus, quod ope dæmonis mira patraret; natione Samaritanus, ex villa quadam, Gitton nuncupata, oriundus traditur. Cyprium Josephus *Lib. 20. antiq. cap. 5.* asserit; si tamen idem ille sit, qui à Philippo Diacono baptizatus. De quo Lucas *Act. cap. 8.* Ante fuit in civitate Magus, dicens se esse aliquem magnum (Prophetam vel Angelum) cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum, dicentes. Hic est virtus Dei magna. Idem cum vidisset ab Apostolis conferri fidelibus Spiritum Sanctum, hanc sibi potestatem ab iisdem Apostolis, oblatâ pecuniâ, comparare voluit; propterea ab Apostolorum Principe merito redargutus. Post ejusdem Petri ac Joannis discessum, qui venerant in Samariam, ut baptizatis manus imponerent; sese vindicaturus, cœpit seminare zizania, omnium hæresiarcharum in novo testamento Antesignanus; adeoque, sicut Salvator noster Ecclesiæ à se fundatæ Principem quendam constituit Simonem; sic pariformiter Sathan suæ Synagogæ & Ecclesiæ malignantium

præficere voluit caput & primicerium hunc Simonem. Is post susceptum baptismum ad vomitum rediens: id est, magicas artes resumens, talia non solum in Samaria, aliisque confinibus: sed etiam Romæ patrassè dicitur mira, ut ex Senatûs Populique decreto Statuam promeruerit. De quo in præfentiarum disputatur an verum sit.

Primus, qui id perhibet, est Sanctus Justinus Philosophus & Martyr, in Apologia secunda ita scribens ad Senatûm Populûmque Romanum. *Simon, qui sub Claudio Cesare efficacium demonum arte in Imperiali Urbe vestra Romæ propter magicas artes, quas exhibuit virtutes, Deus habitus est, & Statuâ apud vos, velut Deus, honoratus &c.* Et infra. *Sub Claudio Cesare Simon fuit: & Sacrum Senatûm populûmque eo perduxit stuporis, ut Deus haberetur, & Statuâ, velut alii, quos colitis dii, coleretur.* Insuper Sanctus ille Christi pugil testatur se hanc oculis suis conspexisse Statuam in amne Tiberi, inter duos pontes erectam cum hæc epigraphæ. **SIMONI DEO SANCTO.** Ejusmodi Statuam olim Simoni erectam pro-